

Disputatio medica inauguralis, quam ex pyretologia desumptam / praeside Rudolpho Jacobo Camerario ... pro licentia ... publico eruditorum examini submittit Michael Elwert ... Januar. MD CC XX.

Contributors

Camerarius, Rudolf Jakob, 1665-1721
Elwert, Michael
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Jo. Cunradi Reisi viduae, [1720]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fsmcmvw7>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

Quam Ex

PYRETOLOGIA

desumptam,

PRÆSIDE

D. RUDOLPHO JACOBO
CAMERARIO,

Facultatis Medicæ Decano Spectatissimo,

Præceptore & Patrono Suo Honoratissimo,

Pro LICENTIA

Supremos in Medicina Honores legitimè
consequendi,

Publico Eruditorum Examine submittit

MICHAEL ELWERT,

In Lib. S. R. J. Civitate Reutlingâ
Phyfici-Adjunctus.

Ad diem Januar. MD CC XX.

5

DISPUTATIO MEDICA

IN AUGURIBUS

Quam EM

PYRETOTOLOGIA

de sumptibus

PRÆSIDII

D. RUBEN GOLPHO / BOBO

CAMERARII

Facultatis Medicæ Universitatis

Prætorii & Patris

Pro LICENTIA

Summi Consilii

conferri

et

MICHAELIS

17



Quæstio:

*Accola Nicri cur febribus obnoxii, ut olim,
sic iterum per annos nuperos, præ ca-
teris Tubingæ incolis?*



Non nova sed vetus est hæc querela, de febri-
bus urbi gravibus, juxta illam partem, primò
& præcipuè; non tamen terminos intra hos
angustiores continendis. Nam sermo est *de*
quodam quasi ordine, *ortu* vel *ingressu* illa-
rum: de *progressu*, citiore vel tardiore, per
urbis reliquum, ulterior dein erit quæstio.

Meminerint autem multi, non saltem degentes adhuc in urbe,
sed & sparsi per patriam, quid passa fuerit Tubinga ab anno
seculi tertio per non unum sed plures sequentium. Recurrit
citò nimis & invaluit simili modo *Febris* non dissimilis, *Inter-*
mittens, tertiana non simplex modò, & exquisita, quàm du-
plex, notha, protei formis, cum exaltatione per æstatem in
continuum periodicam, si placet, hemitritæum, nec sine de-
pressionem per autumnum in quartanam, &c. non observans
discrimina temperamentorum, non parcens ætati, vel sexui, suo
tamen quemque modo exercens. Quemadmodum observa-
tur incrementum paroxysmorum suo se excipientium ordine,

ut tertius, quartus fiat vehementior, sic etiam quidam est successione ordo per annos: uno non contenta febris, pergit per subsequentium aliquot. Sic quæ anno priore inceperat, repetit per alterum, imò facta fuit intensior, extensior. Hinc est differentia notabilis inter ægros. Quidam erant novitii, recens correpti; Alii veterani, ante annum vel annos jam semel atque iterum vexati, plus minùs malè habitati: Et sic solet natura servare memoriam anni partis, quâ perpeffa fuit febrem, ut eam recurfu vel alteratione tamen sensibili non semel in posterum renovet. Dolendum, sive causa ipsa sit adeò constans, aut frequens, sive effectus hæreat adeò pertinaciter, loca semel graviore modo affecta ægrè liberari, ut de locis & personis valeat illud *Seneca: Sic divitias habent, quomodo habere discimus febrem, cum illanos habeat. E contrario dicere debemus: febris illum tenet.* Deo gratias, quòd talis & tanta febris non æquè nostris fuerit funesta, quos enim tenuit dimisit plerosque, non nisi ad septembrem cœperunt campanæ sonare lugubres, non propter tertianam, nec tam ab acutis quàm à chronicis fenum & diu variè languentium affectibus.

Omniem illius febris historiam, theoriam & therapiam, tanquam thema nimis amplum, hîc expedire non præsumimus; *Præses meus B. Parentis sui dispp. singular. de tertianâ malignâ, & anomalâ,* huc vult revocatas. Selegimus modò phænomenon particulare, de comparativo magis solliciti: cur prior, potior, frequentior respectivè febris per certum urbis tractum observetur? Respondere ad hanc quæstionem tentabimus primò *per remotionem* rerum illarum, quæ venire possent in suspicionem, quibus ceu causis posse videtur imputari effectus. Et dare ante omnia huic quæ urbem vexavit febrî prædicatum à *Bello* non possumus. Non est castrensis. Pax est p. D. g. militum castra vel stativa non vidimus, pauci interdum eorum per civium ædes sunt quasi domestici, nec aliunde huc venerunt infecti, nec infecerunt quenquam, minimè illos, de quibus maximè quæri-

tur. Non dememinit quidem tam hæc urbs quam vicinarum una & altera tristium ex hoc capire belli fructuum: Fuit tamen olim quæ ab hoc erat principio febris naturæ alterius, peioris notæ, sine respectu tali ad hunc urbis tractum, sc. petechialis, seu qui ex castris ad rastra, à rastris ad rostra, ab his ad aras & focos se penetravit Encephalonosos, ut *Rhumelii* repetamus formulam.

Nec cum *Diatâ* illorum certo loco magis afflictorum ita videtur tunc fuisse comparatum, ut *primam & solam* ab hæc liceat petere *rationem*. Oporteret fuisse febrem statim à principio universaliorē, per urbem totam, & æquè per urbis reliquum, utpote cujus incolis cibus & potus quicumque suspectus fuit utique communis: nisi particulare quid & subjecto quæstionis proprium possit determinari; quale quid nondum cognovimus. Suppetit quidem anno uno præ altero *fructuum* e. g. *Horæorum* copia, quibus morbi æstivi vulgò volunt adscribi: Item ad fluvios *Piscium* esum interdum quorundam quibusdam esse suspectum, etiam ex capite febrili, non ignoramus. Et sunt talia multa. Sed nostro phænomeno specialius ad dicta loca magis restringendo generatiorē tales causas applicare, non satis facit. Interim præsupposito principio, ut sperare fas est, posthac detegendo, siquidem ad hoc accesserint diætæ vitia & errores, eò certius orituram febrem facile concedimus, sive importent materiam peccantem, sive moveant, aut revocent recidivas. Addendum forsitan, esse ex illis, febrem quæ modificent, e. g. intendendo, ut *Vinum*, quod tamen demùm ab anno nupero vulgo suppetit multum & bonum. Eo ipso autem nec patrociamur erroribus manifestis, nec occultiores in victu causas forsitan subesse negamus: quas qui in lucem protraxerit, ut evitari vel emendari possint, de publico utique benè merebitur. Interim, quia febricitantes non semper habuerunt in rebus medicorum non naturalibus culpam manifestam, nec illos præ cæteris peccasse dici potest, qui correpti fuerunt præ aliis, quærendam censemus adhuc causam, quæ ipsis fuerit magis propria, determinatior ad viciniæ viciniam.

Respondere igitur ad quæstionem tentamus etiam *per thesin*, ponendo & recensendo causas, quæ si non singulæ tamen junctæ febrem importare videntur. Sit primus *Auster*, ab olim malè audiens, ex longâ retrò antiquitate non poetarum modò sed & medicorum famosus opprobriis, plumbeus. Suppetunt textus frequentes *Hippocratis* & *Celsi*, Illius quidem sect. tert. aphor. Hujus autem l. i. c. 10. quo docuit, quæ in omni pestilentia faciendæ sint, cum addito: *tum in eâ maximè, quam Austri excitaverint. Atq; etiam peregrinantibus eadem* (ab ipso laudata præsidia) *necessaria sunt, ubi gravi tempore anni discesserunt ex suis sedibus, vel ubi in graves regiones venerunt.* Potior quidem in casu primo est ratio contagii quàm aeris, non tamen nulla est temporis & loci; pestis enim grassatur magis ab æstate in autumnum, ut febris. Sed missis, vel suppositis, quæ de vento ex plagâ meridionali spirante ab autoribus conquiri possent testimoniis, ad locum quæstionis respiciendum est. Dicitur ædium tractus à portâ occidentali ad orientalem Austro imprimis est obnoxius. A Septentrione jugum montis & vicinæ domus altiores opponuntur quasi Aquiloni; quàm ab hac causâ strictior hic ventus minùs admittitur, tam ex adverso ædes magis afflictas afflat laxior Notus, tanquam extremum urbis occupantes, ad quas liber est è campo aeris indè appulsus, eò magis, quò sunt humiliores in imo atmosphæræ. Sic directus ipsis est à meridie auster ille, & ex longâ valle ab occasu obliquus noto-zephyrus. Videri quidem posset nobis hic ventus melior, quia *tramontana*, ut transalpinorum terminum invertamus nos cisalpini, i. e. alpes non suevicas modò sed & rhæticas superat priùs quàm huc appellat, in itinere forsan plus minus correctus, forsan pejor futurus, nisi illud foret medium. Sit ita, in tantùm, vel interdum, in totum vel semper vix æquè poterit laudari vel excusari. Quid quòd *Baroscopium* sub aere ex hac & ad occasum vergente plagâ laxo humile confirmare solet naturam ipsius non mutatam. Forsan per æstates nuperas etiam calefactæ & ex siccatae alpes transmiserunt

aerem

aerem magis irrefractum. Discrimen autem ventorum à *Paracelso* quoque observatum vel super alpes transeuntium, vel ab al-
pibus oriundorum, alterius est considerationis.

E longinquo ad nos venit auster, proximus urbi fit *Nicer* vel *Neccar*, (utrum rectius) ex sylvâ nigrâ ab occasu huc defluens, vocandus omninò in partem culpæ. Lambit urbis propè mœ-
nia, juxta ipsum planè vicum, patientibus qui observatur plenior. Paradoxon quidem, culpam velle imputari fluvio mediocri, non magno, (cui per æstates nuperas fuit aquæ tam parum) claro, li-
beri cursûs, non tardo. Si palustris foret, aut aquarum plurium, stagnantium, facilius foret creditu, deducendas esse ab eo febres. Oportet ergò vel sufficere ipsum, talem tantillumque, ac est, vel tantum importare ipsius sive eluviam sive brachium quasi & ra-
mum, qui ad latus excurrit tantisper, aut simile quid, quod cun-
que demum sit. Hæc talia enim aliàs & alibi malè audiunt. Im-
petuosior interdum nicer non fert obstacula, nec rectà decurrit, sed aberrare solet, itaque duci voluit per fossam paulò magis su-
pra urbem versus occasum, ut flueret ad lubitum nostrum, sed non suum. An & quantum hoc valeat in præsens, avtopsiæ re-
linquimus judicio.

Cum sit prospectus ex urbe in campum, in vallem peram-
plam, cum jucundâ objectorum varietate, vix nec nisi ægrè au-
demus pronunciare locum adeò amœnum esse interdum minus salubrem. Accessit *Bb. Antecessorum* de Tubingâ pronunciatum in *Programmate* Facultatis de anno 1679: *Insigni hanc ex singulari Dei & naturæ beneficio gaudere salubritate, evincit Aeris tam Natu-
ræquam Artis mediis procurata puritas, Fontium levitas, citatus Flu-
viorum cursus, Terræ bonitas, Frugum maturitas, Ciborum Viniq; tem-
peries, monstrat morborum malignorum rarior, mitior genius, ac bre-
vitas, docetq; funerum tenuitas.* Quibus addi omninò poterit
disp. *B. Dn. D. Raithii* de Tubingâ.

Posito itaque austro & nicro non tamen hoc ipso ponitur febris. Sunt illa duo omni anno, hæc non est semper. Nectamen etiam
ista

ista se habent perindè omni anno. Supperaddendum igitur erit *Loco Tempus*; concursus hîc est aut mixtura characteris endemii & epidemii, siquidem febres tulit annus jam nuperus à vere per æstatem, in autumnum usque, & eodem ordine processit alter, ut omninò in considerationem vocanda sit harum anni partium anomalia & intemperies. Quandoquidem verò unâ & eâdem operâ modus agendi causarum poterit examinari, quapropter ad hunc progredimur: Nihil præjudicantes *Astrologis*, sed si placet ipsis nostra subordinantes, si quidem velint & possint ab alto malorum nostrorum reddere rationem, forsan inter alios aspectus à *marce*, planetarum trigæ priùs conjuncto, dein opposito; sive elicuerit & moverit principium sulphureum, sive ætherem transmiserit peregrinum. Quanto magis veneramus adhuc altius ascensuros. Certè *Lyricus* insanientis aliàs sapientiæ consultus ætiologiam tamen febrium deduxit à temeritate mortalium, ode statim tertiâ. *Audax Japeti genus Ignem fraude mala gentibus intulit: Post ignem æthereâ domo Subductum macies & nova febrium Terris incubuit cohors; Semotiç, prius tarda necessitas Lethi corripuit gradum.* Divinum in morbis accusari solitum proin esto Dei providentia, directrix fatorum.

Inferiores, propiores medicorum causæ ad pyretologiam sistunt *Calorem humidum*. Quid si hunc nicer, illum auster importet? De calore quidem loci & temporis nemini erit dubium. Quàm graves æstu longo & magno fuerint æstates ultima & penultima, quis non meminit. Longa autem ibi series ædium meridiam versus soli maximè exposita, obnoxia hinc calori majori, cum non habeat oppositas, caruit quoque talium umbrâ. Tantum importat ex logicis receptivitas subjecti ad modificandum influxum causæ, seu ita declaratur radiorum solis efficacia, exemplo dispositionis, quâ in se magis reflexi fortiorem edunt effectum. Non sunt nobis præcociores herbæ, flores, fructus, ac in hortulis ad radices ædium, febribus maximè obnoxiarum. Non est vinum nobis melius, ac quod crescit in dorso montis anatolici, similiter obverso soli & austro.

Dices, frequentes tamen fuisse per æstatem Etesias; siccitatem fuisse non à sole solo, sed & à flatu euroboræ. Resp. Salubres utique prohibentur illi, frigiduli sunt plus minùs, forsàn, præter dicta, absque his si fuisset, plures fuissent correpti, magis afflicti. Cæterùm, si quis exemplum velit austri, æstûs, *silentis auræ ex septentrione*, recordetur si potest septimi augusti, quàm à meridie in noctem fuerit molestus *causon*, (Lucæ 12.) ad languorem sanis, quanto magis ægrotantibus, vix tolerabilem. De *etesias* autem egimus quondam ex professo.

Itaque satis certi de primâ, alteram quæremus qualitatem. Siccus videtur auster, quî ergò humidus? Atat, tam pincerna pluviarum audit, quàm vel à medicis agnoscitur duplex. Sic ex *Galeno Heurnius* ad aph. 5. sect. 3. habet præter *Levconoton*, siccum, insuper alium mollem, caliginosum, & humidum. Sed & humiditatem dabit fluvii vicinia, sive nebulis ad visum, sive halitu etiam minùs sensibili. Adde citatas exundationes, quibus non rarò & facilè obnoxius est nicer. Habenda fortè Imbrium quoque ratio, cum tempestatibus ruentium, qualibus æstus non semel mutatione satis subitâ fuit interruptus; undè etiam voluerunt observari febricitantes tunc novi. In considerationem autem porrò veniunt anomalix cæterarum anni partium, scilicet *pascua in decembre viridia, hyemes austrinæ, lutum non gelu, flores februarii, nives martii, aprilis, &c.* Caus enim noster cit. sect. tert. morbos aeri vario congruos recensens, non tales modò profert, qui respondent præsentis, sed & præterito, in specie aphor. 11. prædicere audet, qualem hyemem, quale ver, qualiter morbosa sequatur æstas. Undè nec hujusmodi supersedendum esse reflexionibus in nostro casu censemus.

Sic febrium causa erit *vel* in corpore humano genita, *aut* mota, *vel* in ipsum ab extra illata, suscepta sive per cutem ejusque poros, sive cum aëre in pulmones, *aut* cum salivâ in primas vias. Alterum valebit de sanguine & bile, i. e. absumpto aqueo vehiculo de sulphureis cum alcali in saponem talem abituris particulis;

alterum de *putredine*, quæ in pyretologiâ veterum utramque explet paginam. Illud passim legitur, e. g. apud *Hearnium* ad aph. 21: *Æstas acerrimæ bilis est procreatrix. Fiunt tertianæ plurimæ per visceris peculiarem affectionem, gignentis, aut mittentis, aut suscipientis bilem. Affectionem visceris, inquam, non quidem phlegmonen, sed indicibilem quandam & inexplicabilem proprietatem: inde certæ periodi.* Hoc autem putridum quocunq; explicetur modo promovetur à calore humido, tam extra quàm intra nos, ut hinc retulerint tales febres prædicatum putridarum. Hæc omnia vett. benignam admittunt interpretationem, & cum Recentioribus conciliationem; cujus vel olim datum fuit specimen in *spicilegio pyretologico*. Nec modò putrescunt faciles, ni moveantur aquæ, verùm etiam favent creditæ olim sed reprobatae hodiè generationi æquivocæ. Suspecta multis sunt *insecta*, & Pathologia Animata sese iterum vult insinuare morbis occultis publicis, etiam gravioribus. Annus a præteritis *examina papilionum & scarabaorum, vermiculorum & erucarum copiam tulit insolitam.* Non est locus huic principio convenientior ac humidus & calidus, nec commodior pro seminio, pro fordibus & cadaveribus in corruptionem fortè ruentibus; ut perpendendum videatur, quantum debeat thema nostrum talibus animalculis vel atomis? Scilicet qui *quatuor primis qualitatibus aeris* negotium febrile absolvi negant, ejusdem tamen rationem habent, ut atmosphæræ, ex quocunque demum regno deducant heterogeneum. Huc spectat illud *Frid. Hofmanni*: *Pleraque intermittentes ex aeris & tempestatum vitio gignuntur, & magis ex subtili causticâ acrimoniâ, quàm copiâ vel stagnatione humorum subnascuntur.*

Ætiologia febrium ulterior procedit potius *ex frigido & humido*; præsupponens quidem calorem, dictum hætenus *causam per se*, sed nunc porrò *per accidens talem*, cùm soleat dare occasionem denudandi corpus, quærendi refrigerium. Tunc vis frigoris etiam minoris est major, cùm appellit intempestivum, importunum, quandò cadit subitò in corpus præcalectum. Indè effectus, *transpiratio prohibita, suppressum, repressum, quicquid per*

corporis peripheriam erat se - & excernendum, ventilandum. Scilicet molestus calor vestes deponere, captare auram frigidulam, matutinam, vespertinam, nocturnam, aut recipere se in loca talia importuna, malè suadet: ad aquas autem plerumque tunc ventus vel aura, & quocunque gradu & modo frigusculum sive siccum sive humidum magis noxium. Sic causa censebitur nostra, in nobis genita, sed retenta, tam quantitate quàm qualitate peccans, quia tempestivè per ambitum non dimissa, inde conversa ad locum & focus febrium in primis viis. Sic in *methodo Stahlianâ Junkeris* diætæ supperaddit refrigerationem in regione abdominis, præcipuè circa tempus, quo cibus assumptus est: hâc enim ratione concoctio impeditur.

Conferamus pro illustratione illorum, quæ diximus, exempla, quibus vel confirmari vel & reddi dubiæ possint ætiologiæ nostræ, ut pateat, ubi inquisitione sit opus ulteriore. In *valle alterâ*, per & alteram urbis partem, sed austro minùs expositam, ducitur rivus, *die ammer*, nec tamen hujus accolæ febricitarunt. Verum hos fuit per annum priorem, minùs per ultimum, quo & in illa humilia & humida loca pervenit febris.

In excelso autem montis eminent *Arx*, nihilominus eò, in locum hunc altiorem, liberiorem, ascendit olim febris, non parcens paucis ejus incolis; benè tamen post advenis. Et simile fatum fuit hoc anno *adium* plurimum ibi & alibi *sitarum in alto*. Quomodò his causas applicabimus, quas modò dedimus humilioribus?

Hac occasione commendanda venit meditationi quorumcunque quæstio illa ulterior: *Febris tandem per urbis reliquum* quâ ratione fuerit *diffusa*? Utrum, quod verosimile, accusatæ hactenus *causa* per annos *latius se extenderint*, plures affecerint graviùs & dejecerint? Num verò accesserit ratio *contagii*, & miasma fuerit propagatum ab affectis ad inficiendos per commercium plures? An denique fuerint etiam, qui *per alterationem animi*, s. meticulosam imaginationem, s. horridam quandam nauseam, sibi febrim accerferint?

Porro, juxta ductum nicri nostri parùm ascendendo versus

occasum vix horæ itinere distat pagus, *Hirschau*, situm habens nostro satis similem: Simile autem ipsi est etiam fatum. Febribus iisdem temporibus scatens, & aliàs epidemiis facilè obnoxius, tanquam vicinus non debebat prætermitti.

Prospicientibus in campum versus meridiem proximus pagus febribus etiam jam diu est famosus *Derendinga*. Mirum, siquidem ad radicem montis sylvosi sita supra se quasi transmittit austrum, liberum admittit boreæ appulsum; eò magis, cum vicinus & huic pagus alter *Wila* non æquè malè audiat, in eâdem valle nicrinâ occidentalior, parum altior. Ita quidem fama tulit quondam; Sed nuper dicebatur nec hæc villa ampliùs libera.

Ad complendam itaque historiam & *topographiam* nostram *præternaturalem* non possumus non invitare quoscunque, scilicet non tam ad opponendum modò, quàm ad perficiendum, si qui sint, qui supplere valent, quod deest, quod latet, sive apud nos, sive alibi, vel juxta decursum ulteriorem necari, vel aliis per patriam locis à febre vexatis, qualium fama subindè fecit mentionem: Imò longè lateque per europam febrilis quasi lues extensa scribebatur. Sui quisque loco sui suorumque habebit rationem.

Occasione autem pagi adhuc proximè citati nec hæc prætermittenda sive observatio sive suspicio quorundam: In partem culpæ venisse *lintea*, ex urbe lotum eò deferri solita, prætenfa indè reportari tanquam ex loco insalubri ab ægris, vel inter ægros, medium propagandi febrem.

Nec minùs, quin potiùs huc spectat illud, cujus in principio habenda fuisset ratio: *Accusari aquas ibi puteorum*, sive non diligenter expurgatorum, sive ipsas malæ notæ, nescio quâ præcisè qualitate infames; an mollitiæ putridâ sub stagnatione? Hactenus aquæ quas bibunt, aut quibus in culinâ utuntur nicri accolæ, non ita malè audiunt. Subeant Examen.

Pro complemento rationum, pro confirmatione dictorum, febri malè faventium, *Recidiva in Templo* frequentes & faciles veniunt subjungendæ; etiam sub quæstione: Utrum loci quâ frigidi, hu-

midi,

mididi, potior subsit ratio? Perinde ac temporis. Præter enim tempus consuetum januarius lutulentus febrium tulit recidivas. Vel an à confluxu hominum, à sepulcris, aut quâ occultiore causâ veniat effectus nemini ignotus?

Si lubet *Aliorum* quoque de ratione phænomeni nostri audire *sententias*, possumus producere multorum testimonia & exempla de talibus talium locorum fatiis, in genere & in specie. De *Sardinia* versus in thes. poet. leguntur: *Hinc hominum pecudumq; lues, hinc pestifer aer sævit, & exclusis regnant aquilonibus austri.* Cui tamen meminerit quisque ad latus ponere hoc distichon: *Nulla fata loco possis excludere, cum mors venerit, in medio Tibure Sardinia est.*

Dan. *Bartoli* *Moralia*: *Mytilene, oppidum eleganter edificatum, sed non prudenter positum, cum flante austro habitantes ibi omnes simul agrotent, cauro tussiant, aquilone revalescant; stolidam vitam certa electio materiam pœnitendi per totam vitam præbet.* Conferri meretur *Sturmi* *Math. Juv. Archit. Civ. s. 2. c. 1.* de structurarum loco posituque commodo. Quis autem excludet satis ventos ibi ad consilium *Vitruvii*, ne frigidi lædant, calidi vitient, humidi noceant? *G. H. Welschii* *Somnium Vindiciani* habet hæc desiderata: *Meteorologiam ad usum medicum; Chorographiam Medicinalem; Epidemia variorum locorum.* Hippocrates autem nobis reliquit de aere, aquis & locis libellum.

De *Hungaria* militi germano infestâ, febribus vel maximè mali moris, & molestâ æstu diurno, nocturno frigore, ab omni tempore fama multum tulit; forsan ad fluvios præcipuè, *Danubium*. Quid quantumve ad *Rhenum* ejusque eluviem fuerint passæ *Alæ* *Exercitûs Propiores*, solent narrare *Medici Castrenses*: Gravia inprimis audiisse meminimus ab *Exc. Prof. & Arch. Dn. D. Zellero*. De urbe *Constantiâ* ad lacum *Acronium* febribus sic obnoxia perhibent *E. N. C. 3. x. & c.*

R. Mortonus *pyretolog. c. 3. & exercit. 2. c. 4.* de febris intermitt. & continentis causâ evidenti sollicitus, eas *locis palustribus & oris maritimis* *endemias* observat, & autumnali tempore ferè

ubique epidemias, ob aerem, à cuius impuritatibus & injuriis five particulis heterogeneis & venenatis non tam humorum segnis moles quàm spiritus (qui cum archeo, naturâ, animâ, & principio vitali aliorum fortè coincidunt) inficiantur ac turbentur. In specie incauti & eodem modo semper vestiti, postquam medio die æstuarunt & sudarunt, non possunt horis matutinis, præsertim verò vespertinis, in poros cutis, præcedente calore apertos, frigus non suscipere, undè spiritus derepentè algentes conturbantur. &c. Nota: cæterarum tamen rerum non naturalium abusum superaddit, ut rationem redderet, cur ab iisdem causis externis non omnes parili modo afficiantur. Scilicet solet plerumque conspirare concursus causarum tristic ad labefactandam nostram valetudinem; quarundam ex ipsis absentia vel repugnantia solet adscribi, quòd ab endemiis & epidemiis quidam tamen p. D. g. maneant liberi.

Multus etiam in hoc fuit cum Sanctorio suo Listerus, sc. in explicandis febribus loco & tempori dicto ita propriis. Hic quidem comm. medicin. static. s. i. aph. 95. pro causâ paroxysmi subitam atque inusitatam eruptionem ponit bilis fervidæ; s. 2. aph. 6: locis palustribus atq; uliginosis aer tanquam aqua, aqua autem cænosa est; ibi ferè febres interm. indigenæ sunt: ex quibus, si diutius corpora afflicent, Cachexia, hydropsque. Nimirum propter materiam perspirandam crassescens, ductibusque viscerum glandularumq; retentam, inq; ichorem quendam acrem putrescentem. Ille autem s. 2. aph. 12. 16. 35. 36. 40. de aurâ jucundâ frigidiusculâ, austrinâ, noxiâ, præ frigore in excessu, æstate præ hyeme, de dormitione æstivâ detecto corpore, &c. multa recenset, reducens omnia ad suam adiapneustian, tanti momenti in p. n. quanti libera diapnoe in naturalibus. Spectat tandem huc omninò aphorismus integer: In noctibus æstivis corpora ad febrem maximè disponuntur ob aeris varietatem, ineunte enim nocte aer est accensus: intempestâ verò est temperatior; in aurâ frigidus: undè solitum perspirabile in correptis somno & stragulis denudatis cohibetur, & corpora ponderosiora sunt, quòd noctibus hyemalibus non evenit.

A. Pitcarne in elem. medic. p. 177. duos æstatis affectus præcipuos, *alvi fluxum & febrem*, ita comparat, ut diarrhœam quidem concipiat fieri *vel* à materiâ accumulâtâ in intestinis & ibi putrescente ob easdem causas, ob quas aeri calido exposita putrescit, *vel* à derivatâ huc ex apertis radicibus ductûs hepatici & pancreatici solito patentioribus, ob impeditam transpirationem insensibilem, renalem, aut similem; unde succedat ille alvi fluxus: *at nisi succedat, succedit semper febris.*

Heurnius ad aph. 7. & 4: *Multum interest inter tertianam & tertianam: nam bilis modò effera fit, modò pituitescit. Longè difficilior curantur tertiana inequales, sc. ab Inæqualitate temporis tales, quàm si à Dieta vitio oborta fuissent: nam quid divini habent. Quasi dicat, itaque remediis majoribus oppugnanda, & sæpè alexipharmacis earum gravitas castiganda erit.*

His ita se habentibus, *quid consilii?* Non desunt medicorum libri, qui possint consuli. Placet hâc vice tantisper audire Alios. Quos inter primus esto *Seneca*, qui ad nostram quæstionem videtur ita respondere: *muta locum.* Sc. qui in epistolis à naturalibus ad moralia subindè solebat transire, e. g. n. 28: *ut loca gravia etiam firmissimam valetudinem tentant, ita bona quoque menti, nec dum adhuc perfectæ & convalescenti, sunt aliqua parùm salubria.* & n. 51: *non tantum corpori sed etiam moribus salubrem locum eligere debemus, non obstante n. 55: non multum ad tranquillitatem locus confert. animus est, qui commendat omnia. Vidi ego in villa hilari & amœna mæstos, vidi in media solitudine occupatis similes. &c.* Hic Stoicus suo tamen exemplo istud probavit consilium, & proin meretur audiri. Etenim ep. n. 104. ita incipit: *In Nomentanum meum fugi, quid putas? urbem? imò febrem, & quidem surrepentem. Jam manum mihi injecerat: protinus itaque parari vehiculum iussi, Paulinâ meâ retinente. Medicus initia esse dicebat, motis venis, sed incertis, & naturalem turbantibus modum. Exire perseveravi. Illud mihi in ore erat Domini mei Gallionis: qui cùm in Achaja febrem habere cœpisset, protinus navem adscendit, clamitans, non corporis esse, sed loci morbum. Hoc ego Paullina mea dixi, qua mihi valetudinem meam commendat. &c.* Queris ergò, quomodò mihi consilium profectiois cesserit? ut primum gravitatem urbis excessi, &c. protinus mutatam valetudinem sensi.

Quan-

Quantum deinde adiectum putas viribus, postquam vineas attingi? in pascuum emissus, cibum meum invasi. Repetivi ergò jam me. non permansit marcor ille corporis dubii, & malè cogitantis: incipio toto animo studere. Indè sequitur de peregrinatione dissertatio. Non esse eam à se utilem, nisi animo talis efficitur. Ille emendetur, affectus recidantur. Omnia tunc loca & status jucunda.

Dices, mutare locum nequeo, non licet. Manendum in tali, qualis est. Ergò consilium dabunt alterum, qui respondent: *Cave causas allegatas. Defende corpus ab injuriis & insidiis earum.* Si videatur hoc in genere prolixum, inter alios specialius dabit exemplum *Legatus quondam Gallicus in Siam*, de quo legisse meminimus, liber non est ad manus, nisi fallimur, cùm in itinere maritimo appropinquaret sub lineam, quam vocant nautæ, ipsum non fuisse obsequentem multitudini errantium, sed paradoxon sese gessisse: non enim probavit impatientiam suorum, corpus denudantium, sed non obstante Zonæ calore suis se vestibus contexit, & defendit eò cautius. Quo successu? ut hanc minoris notæ molestiam tolerando permanserit sanus, sociis imprudentibus feбри correptis communiter.

Omne trinum perfectum, proverbio. Tertium itaque accedat consilium, verbis cum primo iisdem, sed alio sensu: *Muta locum, emenda, corrige loci vitia.* Sequere, imitare, exempla, quæ innotescunt aliunde. Fama tulit, factum id ante aliquot lustra Stutgardix, nec caruisse successu, vico urbis à febribus liberato, postquam stagnationi vicinarum aquarum successit siccatio & cultura soli. Hoc etiam *Lentilius* perscripsit *Lancisio*, in similibus occupato, ut vel ex librorum titulis constare potest: *De noxiis paludum effluviis. De aere romano. &c.*

Meruisset addi ex *Leibnizi Theodiceâ* edit. Latin. §. 369. sed excluditur paginæ angustia. Ergò

SOLI DEO GLORIA.